

Hallbauer.  
De fontibus  
eloquentiae





AD AVDIENDAM ORATIONEM  
QVA MVNVS  
ELOQVENTIAE ET POESEOS PVBLICE DOCENDAE  
A SERENISSIMIS  
HVIIS ACADEMIAE  
**CONSERVATORIBVS**  
SIBI CLEMENTISSIME DEMANDATVM  
RITE AVSPICABITVR  
PATRONOS AC FAVTORES  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE HUMANITATE  
INVITAT  
AC PRAETEREA  
DE FONTIBVS ELOQVENTIAE  
DISSESTIT  
**FRIDERICVS ANDREAS  
HALLBAVER.**



I E N AE  
LITTERIS HORNIANIS.



Vum eloquentia vnicum atque optimum instrumentum sit ad omnes scientias efferendas, nullaque re alia eruditio[n]is adparatus ad publica commoda verti melius possit, sive de religione, sive de re publica dicendum, quam si adposite & eleganter, quae cognoscimus, cum aliis communicare possumus; nemini, nisi ab humanitatis sensu alieno, dubium esse potest, quin non modo pulchrum & laudabile, verum plane ad rei tam publicae, quam priuatae conseruationem necessarium sit, bona & perculta sermonis facultate vti. Magnum est, recte de omnibus rebus iudicandi scientiam sibi comparare; magnum, acutissime cogitare: sed maius meliusque est, copiose, modo prudenter, eloqui posse cogitata mentis. Nam nisi hanc bene dicendi rationem cum ista animi facultate coniunctam esse velimus, aut nullum, aut non ita magnum sapientiae nostrae fructum capient alii. Hominis decus est ingenium, sed ingenii lumen eloquentia. a) Itaque quemadmodum haec duo insunt generi humano, quibus brutis animantibus omnes praestamus, & inter nos ipsos alii aliis antecellimus, ratio nimirum & oratio; ita in id incumbendum est nobis, vt & animo & sermone cultiores existamus.

a) Cic. de cl. orat.

Id

**Id quod tunc demum continget, quum tam ipsam rerum, per  
quas mentem colimus, cognitionem, quam rerum cogitarum  
prudentem & cultam elocutionem ex veris ac genuinis fontibus  
hauserimus.** Quemadmodum enim multum refert, quibus ex  
fontibus aquam deducas, quae parandis ad victum necessariis  
inseruire debet, ut nisi puri fuerint & limpidi, cibus potusque  
non sit salutaris; ita unde eruditionem atque eloquentiam tibi  
deriuandam arbitris, non minus interest: siquidem ad veram,  
vtriusque laudem nemo adspirare potest, qui ad veros ac puros,  
ex quibus profluent, fontes non accesserit.

Postquam igitur diuinæ summi numinis prouidentiae plau-  
cuit, eiusmodi prouinciae me admouere, in qua partes sunt meæ,  
hanc copioe & apte loquentem sapientiam in hoc Musarum de-  
lubro spem patriæ iuuentutem academicam, ad commune bonum  
publice docere; a demandati muneris ratione haud alienum fore  
existimo, si rem a principio exorsus de veris eloquentiae fontibus  
pauca, prout institutum postulat, disseruero, atque ita non mi-  
nus vtili, quam graui argumento, orationi auspicali prolusero.

Sermonem ab ipso rerum auctore homines accepisse; huic autem studium atque incrementum datum fuisse ab utilitate & summa ratione, observatione atque exercitatione, QUINTILIANVS b) recte statuit: id vero qua potissimum ratione accidit, optime tradidisse videtur CICERO c), dum primam eloquentiae originem a conditoribus urbium & legumlatoribus repetit. Et enim iam apud vagas & sine urbibus & legibus gentes eloquentiae vsum obtinuisse, vt QUINTILIANVS quidem arbitratur, persuasum nobis non est. Sermonem ipsis tribendum esse, non negamus: sed vt ferrum qui habent, non iidem propterea & arma ex ferro conficienda; ita qui sermone vtuntur, ideo non statim diserte loquendi ratione sunt praediti. Illud autem a vero abhorre non videtur, quum in agris & filiis homines dissipati passim vagarentur, & neglecta humani officii ratione, magis priuatae, quam communis utilitatis coeca cupiditate ducerentur; inuentos fuisse quosdam sapientes viros, qui felicitatem & commoda humanae confortionis, & quam tutam, honestam, illustrem & iucundam mortalium vitam praestet, perpendentes, dispersos homines

b) institut. orator. lib. III. c. 2.      c) de inuent. rhet. lib. I.

quadam dicendi sapientia vnum in locum ad constituendas vrbes & res publicas compulerunt. Congregati vero vt labores subirent honestos, vt magistratui dicto essent audientes, vt iustitiam colerent, vt fidem seruarent, vt certis legibus viuerent, vt omnia non dumtaxat sui, sed communis omnium commodi caussa agerent, graui eorumdem & suaui sermone commoti sunt. Aucta fuit dein, constitutis rebus publicis, cura dicendi, quum publice aliquid suadendum, aut disuadendum, quum legationibus praecclare fungendum esset, quum denique aut accusandi alios, aut sui defendendi gratia accuratius loqui instituissent. Itaque quemadmodum ratio hos socialis vitae auctores docuit, quibus argumentis homines a pristina consuetudine ad diuersas & meliores viuendi rationes conuerterent; quemadmodum haec ipsa ostendit, quae ad accusandum & defendendum, quae ad persuadendum & dissuadendum valerent: ita eadem modum aperuit, ea omnia cum quadam orationis vi & suauitate proponendi. Ideo vere vide mur posse contendere, eloquentiam ex ratione & sapientia natam esse atque ortam. Nam quae de eloquentiae studio tradi possunt, aut ad rerum delectum, aut ad verborum ornamenta respiciunt; vt prima semper cura esse debeat de rebus, quae dicendae, altera de ratione, qua dicendum sit, habito vbius ad finem, personas & res circumstantes respectu.

Sed non genuit tantum recta ratio eloquentiam, verum etiam nutriuit, educauit, coluit, atque ad illud fastigium dignitatis, quo diu floruit, perductam, a stultorum & improborum temeritate, qui ea non minus priuatum, quam publice abuti sunt ausi, vindicauit, & ad nostra tempora sartam tectam conseruauit; vt quicquid siue adiumenti, siue ornamenti toto, qui amplissimus est, ambitu suo, complectitur, illud omne eidem, a qua originem traxit, rationi acceptum referre putanda sit. Ingenium inuenit rerum & verborum copiam: iudicium eligit, disponit, applicat, atque vt omnia cum debita decentia, varietate & conuenientia proferantur, propicit. Excogitandae sunt res verae, aut verisimiles, quae causam explicit, confirmant atque illustrent: ratio, experientia amplificata, eas suppeditabit. Res inuentae in ordinem apte distribuendae sunt; ratio hoc subministrabit. Porro ad res inuentas idonea verba & sententiae adposite sunt accommodandae: & hoc eadem

eadem ratio docebit. Haec denique in ipsa rerum & verborum pronuntiatione dux & auctor erit, vt cum vox, tum totum corpus dignam obtineat moderationem. Ut igitur abusus rationis abusum eloquentiae induxit, atque adeo unica fere causa exstet, ut res optima atque honestissima corrumperetur; ita usus rationis usum eloquentiae inuenit, inuenientum excoluit, atque excultum firmavit, ut quidquid in rhetorum praceptis de vera & absoluta dicendi facultate praecipitur, a ratione profectum ac desumptum esse debeat.

Cultam vero rationem intelligo, atque bonarum artium & disciplinarum scientia perpolitam, quae homines & doctos, & peritos, & prudentes efficit, ne vel inopia optimarum rerum & verborum laborent, vel prudentia apte loquendi sint destituti; sed abundant lauta orationis supellecile, omnibusque ad dicendum vel naturae vel doctrinae praefidisi. Quomodo enim rerum omnium ignarus, quod ipse non intelligit, alii vt intelligent, faciet? quas ad confirmandum, quas ad confutandum producet rationes, qui ipse nullam partem doctrinae solide perceptam tenet? quibus, quoefo, argumentis audientium animos, quod praecipuum est in eloquentia, mouebit & fleter, cui neque natura humanae mentis cognita, neque, quibus potissimum rebus duci & regi soleat, perspectum est? Vnde ei in tantis tenebris verborum & sententiarum lumina? vnde in tanta egestate diuitiae orationis? vnde virilis grauitas, quum sit infantissimus? vnde ornatus, quum rudis & barbarus existat? Profecto is, quum dicendum ipsi fuerit, nisi aliena lingua vtatur, aut mutus erit, aut loquax.

Proinde qui aliqua facundiae laude excellere vult, studiis litterarum doctrinaeque praeditus atque instructus esse debet. Haec dum dico, nihil breuius; dum cogito, nihil patet latius. Ut autem cognoscatur, quibus in artibus ac disciplinis versatus esse debeat orator; necesse est, quae ad eius officium pertineant, partite considerare. Quae quidem eiusmodi sunt, vt nisi quis diuinae atque humanae sapientiae scientiam animo comprehenderit, rationem officii nullo modo persoluere posse videatur.

Primum est, quod eloquentia debet efficere, vt alii, quae ignorant, discere possint: causa enim, quantum satis est, non cognita, neque persuasio, neque conuictio, neque commotio locum habet. Hinc

ab oratore requiritur, ut ipse sciat omnia, in quibus alios docendi occasio ei subnascitur. Sed sit haec eius cognitio solida atque accurata, ut possit res ad dicendum propositas rite explicare, hoc est, deducere ex suis caussis, exponere earum naturam, discerne-re partes, euoluere proprietates, proponere scopum, describere effectus, indicare differentiam, enumerare, maxime in themate historico, antecedentia, iuncta & consequentia, seu circumstan-tias, quomodo QVINCTILIANVS d) Graecorum ~~reperiuntur~~ dixit: videlicet prout aut omnia, aut quaedam ex iis orationis finis pos-tular.

Alterum oratoris officium in eo consistit, ut quae aliis cog-noscenda proposuit, oratoriis argumentis probet & confirmet: ut auditoribus non modo persuadeat, sed eos etiam communicat, atque repugnantes quoque moueat, & pro scopo orationis huc vel illuc trahat, atque impellat: in quo oratoria adeo regnat, ut quum Athenis actores mouere adfectus prohibiti essent, velut recitam orandi potestatem fuisse, vere QVINCTILIANVS iudi-cauerit. e) Ut enim probare necessitatis, & delectare suavitatis; ita flectere victoriae. f) Desumit autem orator probantia argu-menta non ex sola rei natura atque principiis certis; verum ex auditorum etiam persuasionibus, opinionibus, modis iudicandi receptis, consuetudinibus, rerum exemplis, notis quidem, gratis & statim conuenientibus, testimoniis summorum in re publica virorum, quorumque magna est apud omnes auctoritas, & aliis, que per se licet vim probandi nullam habeant, a plerisque tamen, praefertim popularibus, tamquam fortissima argumenta admittuntur. Neque propterea orator decipere, & fucum facere putandus est, si hilce auditores modis ad veritatem perducere studet, quum id magnae potius sit prudentiae, ex admissis fonti-bus efficacia deducere argumenta, atque ita vniuersam animis, au-ribusque multitudinis accommodare orationem. Quare & his aequae ac illis firmioribus argumentis orator vtitur ad confutan-das contrarias sententias, atque ad tollenda ea, quae contra suam ab aduersariis proferuntur: quamquam & multum ea re iquietur, si aduersae opinionis originem, modum eam stabilendi, finem, fraudem & recessus in animis auctorum, aliaque secreta detexerit.

d) lib. V. c. 10. e) lib. II. c. 16. f) circ. orat. Vi-

Vt autem orator totam auditorum mentem partes in suas trahat,  
speciatim excitandis affectibus, ad sensu comuentibus, & sedan-  
dis eidem obstantibus, diligenter operam dare debet, quum elo-  
quentiam potissimum circa mouendum valere, experientia dudum  
docuit, & comprobavit. Cui quidem rei inferuiunt omnia, qui-  
bus antea locum inter probationes dedimus. In primis vero opus  
est, vt id, circa quod animi motus producendi sunt, eiusque con-  
trarium plenissime representare, atque eius quasi imaginem egre-  
gie depingere possit, in quo, vt in ceteris, CICERO plurimum emi-  
net: praeterea ilud idem pro diversis voluntatis inclinationibus,  
aut ab honestate, utilitate, necessitate, facilitate, iucunditate com-  
mendare & exaggerare, aut velut in honestum, damnosum, moles-  
tum, non necessarium, absurdum, impossibile damnare sciat, atque  
exsecrare. Vbius autem affecturus auditores, qui saepe saxe-  
ferreique fuit, debet eloqui gestu, omnibusque animi motibus,  
consentaneo vigore corporis, pugnare acriter, colligere fortiter;  
saepe accedere ad praeceps, effervesce, quin tonare ac fulgurare,  
omnia denique perturbare apte, & miscere.

Occurrunt interdum in explicationis, probationis, commoti-  
nisque officio eiustmodi res, quae sunt aut captu & creditu difficil-  
les, aut ingratiae ac molestae: hinc orator, eas vt perspicuas & quo-  
dammodo suaves reddat, clara profert exempla, comparationes cum  
aliis rebus evidentioribus & iucundioribus adhibet, ad contraria se  
conuerit, testimonia & sententias adiungit, & quae alioquin ad or-  
nandam illustrandamque orationem conducunt, in societatem ad-  
sumit.

Denique conuenit, oratorem scribere luceanter, & omnibus  
stili ornamenti formare orationem. Licit enim sermonis perspi-  
cuitas, ordo, puritas, concinnitas, elegancia, numerus, nativa quae-  
dam pulchritudo, & quae sunt reliquae stili virtutes, historicum,  
philosophum, & alium quemuis deceant doctorem, atque in iis ipsa  
eloquentia posita, non sit: orator tamen omnium minime his pra-  
fidiis carere potest, quoniam ad bene dicendum, quod in primis eius  
est, plurimum conferunt, orationemque ita ornatam & cultam effi-  
cient, vt ipsae res inde multum trahant cum dignitatis, cum iucun-  
ditatis, atque adeo orator optima ratione & docere, & delectare &  
adficere possit. Communia igitur haec cuiusvis eruditae orationis

Lxxviii ob orna-

ornamenta orator ad eloquentiam accommodare debet, ut stilus existat oratorius, hoc est, ornatus excellenti quodam verborum delectu, copia atque vertute, venustis circumscriptiōnibus, vocibus & locutionibus expressis, multum significantibus, & ad exaggerandum mouendumque aptis, probe applicatarum figurarum varietate; postremo instructus omnibus modis amplificandi, ad affectum producendū compositis, ipsisque rebus, oratorum more inuentis, & collocatis. Non autem oratori semper affectanda sunt elata atque excelsa, ne, quod saepe accidit, enormis non altus, immodicus non grandis, tumidus non sublimis stilus inde proueniat: orationem enim tam submittere, quam attollere decet: & si, quod debet, apte dicere vult orator; alia tenuiter, alia sublimiter, alia pressē, alia abundantē & vastē, alia hilare & quasi exsultanter, alia seuere, alia grauiter, alia dulciter, alia cum bīle. Id, quod facere debet orator, intelleximus: nunc quibus in rebus versetur hoc eius officium, siue quae sit oratoriae materia, videndum est.

318 GEORGIAE LEONTINI, antiquissimi rhetoris, sententia est, omnibus de rebus oratorem optime posse dicere: ex quo patet, hunc infinitam & immensam oratoriae subiectissimam materiam. Cui vero CICERO contradicit, g) ARISTOTELIS sententiam praeferebat, qui tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstratio, deliberatio & iudicatio. Dissentit idem etiam ab HERMAGORA, qui oratoris materiam diuidit in causam, siue rem, quae habeat in se controversiam, in dicendo positam, cum personarum certarum interpositione; & quaestionem, quae quidem habeat, in se controversiam, in dicendo positam, sed sine certarum personarum interpositione. Nam licet causam, suppositis tribus istis generibus, oratori concedat; falsum tamen quiddam HERMAGORAM de oratoris officio constituisse arbitratur, quum & quaestionem eo traxerit: ita ut remotum ab eo esse censeat, querere, ecquid bonum praeter honestatem? solis magnitudinem describere, disserere de mundi forma, disputare de terrae motu & his similibus, in quibus philosophorum ingenia sese exercere solent; neque eiusdem sententia oratori attribuenda sint, quae critici sibi vindicarunt, disceptare de origine litterarum, aut de recta eas pronuntiandi ratione, disquirere de quantitate syllabae, aut de vsu vocis alicuius, emendare,

g) de inuent. rhet. I.



dare, quae vel temporum, vel hominum culpa in veterum scriptis cor-  
rupte & depravate leguntur, & quae sunt alia.  
Veteres nimis dicendi magistri oratoriam totam reipublicae  
suae negotiis admodum tradiderunt, adeo ut CICERO eam ciui-  
lis scientiae partem dixerit, alii locum ei in ethice πραγμάτων, s. negotia-  
lem adsignarint h), & politici atque oratoris nomen subinde idem fue-  
rit. Quare tum in rebus, quae in vsu atque actione consistunt, versata  
est oratoria, neque se extendit ad eiusmodi res, quae in inspectione,  
id est sola cognitione atque aestimatione positae sunt, & θεοφυτικαι di-  
cuntur, sed tota πραγμάτων, hoc est actua s. administrativa audiuit. Atta-  
men non negant veteres, ut ex QVINCTILIANO i) adparet, ex secretis  
istis studii magnos ad oratorem fructus prouenire, multaque illi saepa  
ex iis sumenda esse.

Hodie quin oratoria vtendum sit in rebus non modo ciuilibus, ve-  
rum & in sacris scholasticisque ; omnes omnino veritates oratori ma-  
teriam praebent dicendi, etiam eae, quae nullum exigentes actum, ipso  
rei intellectu adquiescunt: si videlicet in disceptationem venire pos-  
sunt apud eos, ad quos vel scribit, vel loquitur; si lectoribus, vel audi-  
toribus non gratae; si ipsis suspectae, aut ab iis, alia edocitis, non dum  
receptae sunt: nam illis, quae euidentes, iamque omnibus satis ac-  
ceptae ac probatae sunt, hoc eloquendi studium haud aequi inseruire,  
facile concesserim. Quin oratoria, licet non declamatoria illa, locum  
inuenit in honorificis compellationibus & litteris, quibus animum  
aliis benevolum atque amicum, aliis gratum & reverenter diligentius  
& copiosius significamus; quibus cum de praesenti, tum sperato ali-  
quo bono plurimum gratulamur; quibus communem cum aliquo do-  
lorem, ex rebus eius aduersis haustum, exprimus, afflictumque a  
moere animum erigimus, & confirmamus; quibus maiorem in mo-  
dum aliquid petimus, aut pluribus verbis commendamus, quem  
nostra commendatione adiutum maximopere cupimus. Non igitur  
intra cancellos quosdam includimus oratoriae studium: sed cum  
QVINCTILIANO k) omnes res, quaecunque oratori ad dicendum sub-  
iectae sunt, materiam esse rhetorices; atque ita non in iudiciis fo-  
lum & concessionibus, sed in rebus etiam priuatibus ac domesticis rhetori-  
cen esse, iudicamus. Ipse TVLLIUS alibi l) palam adfirmat, vim oratoris  
professionemque ipsam bene dicendi hoc suscipere, ac polliceri, vt

B. omni  
h) vid. QVINCTILIANVS lib. II. c. 21. i) lib. XI. c. 18. k) lib. II. c. 21.  
l) de orat. lib. III.

omni de re, quaecunque sit proposita, ornate copioseque dicatur; atque oratori esse debere, quae sunt in hominum vita, omnia quae sita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata, quandoquidem in iis versetur. Idem oratorem plenum & perfectum eum vocat, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere; & rursus eum tantum oratoris tam graui nomine dignum iudicat, qui quaecunque res incidet, quae sit dictione explicanda, prudenter, composite, ornate & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. m)

Tam amplam oratoriae quod esse materiam diximus; illud haud ita accipi volumus, ac si oratorem cum grammatico, historico, philosopho, iurium, aut diuinioris scientiae interprete, aut quoque alio aliarum disciplinarum doctore commiscendum. eorumque promiscua atque indiscreta esse officia, contendemus. Docere, explicare, narrare, probare, conuincere omnium est: sed diuersa plane ratione illi, atque his competit. Id hi faciunt accurate quidem atque erudite, nude tamen & simpliciter, logica rerum expositione contenti; & si verborum castitate atque elegantia simul vtuntur, stili quoque edunt specimina: iste vero veritatibus, ex omnibus scientiarum genere depromtis, addit ornatum, copiam, varietatem, suavitatem, vim, dignitatem & magnificentiam; easque auditorum intellectui, voluntati, opinionibus, affectibus, statibus, omnibusque rationibus prudenter accommodat, ut magna cum delectatione atque efficacia & doceat, & conuincat, & permoueat. ZENO rhetoricae palmae, dialecticam pugno similem esse dixit, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius n). Narrat historicus, sed plane & tenuiter; eiusque pleraque sunt humilia, & e medio petita: narrat orator, sed recondite, & splendide. Historiam, inquit PLINIVS, o) saepius ossa, musculi, nervi; orationem tori quidam & quasi tubae decent. Haec vel maxime vi, amaritudine, instantia; illa tractu & suauitate atque etiam dulcedine placet. Postremo alia verba, alius sonus, alia constructio. Disputat logicus, sed concise & subtiliter: disputat orator, sed in oratione emendata, dilucida, figurata ac perpetua, multisque dicendi ornamentis conditorata, atque amplificata. Pari modo de rebus sacris & ciuilibus orator dicere debet melius, quam aliis earum doctor. Quid ergo? non aut philosophus de philosophia melius? aut iureconsultus de iure, aut theologus de sanctioris doctrinae partibus? si neciat orator, quid sit, de quo dicendum, plane melius: sed accepta ab iis melius orator, quam ipsi, qui docuerunt p). Oratori enim est admittendum, ut diuersa

m) ibid. n) CIC, de fin. o) lib. V. ep. 8. p) vid. QVINCTILIANVM lib. II. c. 21.

genera auditorum per plures dicendi species teneat, ac deducto in partes audientium studio, eorumdemque fastidio ac deliciis omnia accommodet: hinc eligere prudenter, disponere apte, figurare varie, excelsa depresso, exilia plenis, seueris iucunda mutare, extrinsecus aut blandimentis, aut aculeis excitare, omniaque orationis suae vela quodam vento aptissimarum animi commotionum implere solet.

Cognito oratoris officio, spectata etiam materia, in qua illud versatur, quibus artibus & scientiis instructus esse debeat orator, obscurum esse non potest. Quodsi non queritur de oratore, qui sit, aut fuerit; sed tantum imaginem quamdam concipimus animo, omnibus rebus optime dicentis, ex nulla parte cessantis, ac perfecti oratoris, quem CICERO scripto ad Brutum libro, & QVINCTILIANVS q) insti-tuerunt: facile concedimus, hunc esse neminem posse, nisi fuerit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus. Hinc QVINCTILIANVS r) oratorem, vt sit consummatus, multum etiam iuuari contendit a musica, geometria, & his similibus artibus: quae licet se haud ostendant in dicendo, nec proferant; vim tamen eas occultam suggerere, & tacite quoque sentiri arbitratur. Fuisse quidem sine his disertos: at se oratorem perfectum velle. Et quamvis eaedem non adeo multum ad eloquentiam adiiciant; aequet tamen non esse totum ac perfectum existimat, cui vel parua desint. Pingendus est nobis, inquit CICERO s), detraictis omnibus vitiis orator, atque omni laude cumulatus. Solent scilicet dicendi magistri, perinde vt philosophi, praecepere omnia, vt saltem plurima fiant. Etenim maiora consequentur eloquentiae alumni, qui ad summa, quamvis ea non contingent, nituntur, quam qui praesumta eo emergendi desperatione, protinus circa ima subsistunt. Omnim artium peritus esse deberet orator, si de omnibus ipsis dicendum esset: sed quum de omnibus dicendi occasio ipsis non offertur; etiam non requiritur, vt possit dicere de omnibus. Satis erit, vt recte QVINCTILIANVS t) iudicat, eum rei, de qua dicendum ipsis est, non esse insciun. Dicat igitur orator, de quibus didicit, & discat, de quibus sibi dicendum esse, intelligit.

Speciatim oratori accuratiore philosophiae cognitio tam est necessaria, vt QVINCTILIANVS v) eam eius partem, quae rationem rectae honestaeque vitae tradit, propriæ ad oratoriam pertinere, & philosophos hanc, ab oratoribus relictam, occupasse statuerit, quum hi cura q) lib. I. c. 1. & 10. r) lib. I. c. 10. s) de orat. t) lib. II. c. 21. v) lib. I. proœm. lib. II. 20. XII. 2.



morum neglecta, eloquentiae bonis male, & ad quaestum vti coepis-  
sent. Qua de re nos non disputamus, quibus sufficit, ab omnibus id  
concedi, philosophiam atque oratoriam ita arcte inter se coniunctas  
esse, vt orator esse nemo possit, nisi certa veri falsique in omnibus re-  
bus cognoscendi, praeterea finiendi, diuidendique ratione praeditus  
sit, vt scire possit, quid cuique consentaneum, quid repugnans, quid ex  
quoque efficiatur; nisi in peruestigandis rerum naturalium principiis  
& causis exercitatus; nisi didicerit, quae virtutum, & quae sint vitio-  
rum genera; quae adfectuum, animique motuum ratio, & quomodo  
hos excitare, & sedare oporteat; quae praeiudicatae plurimorum opini-  
ones persuasionsque; porro quibus moribus, institutis & legibus  
temperandae sint ciuitates; denique quae homini in hominem, se-  
metipsum, & praecipue in deum praefstanda sint officia. Quumque  
oratori saepe sint quaedam ex historiarum monumentis repetenda,  
atque exemplis illustranda oratio; quae litteris proditae sunt, rerum  
ante gestarum & antiquitatum notitia carere haud potest. Praeterea  
rerum sacrarum maxime peritus sit, in iis qui oratorem agit; ciui-  
lum, qui vult esse ciuilis orator; scholasticarum, cui in scholis decla-  
mandum est: quamquam, quod omnes scientiae communi inter se  
vinculo continentur, qui eminere aliquo dicendi genere cupit, & eo-  
rum, quae non aequae ad officium suum spectant, non potest esse plane  
ignarus. Ex his igitur disciplinis, tamquam ex perennibus quibusdam  
fontibus, admirabilium rerum copiam incredibilem hauriet orator,  
quoties ipsi verba facienda sunt; praeferunt si accesserint uberrimi  
experienciae fontes, seu eximius longi temporis usus, qui multa aper-  
tit, ostendit ac docet. Sed quoniam omnia puris. comitis atque elec-  
tis verbis, & praeterea parua submisce, modica temperate, magis gra-  
uiter, cunctaque apte oratori sunt eloquenda; exquisitam etiam lin-  
guae, qua vtitur, notitiam, plenamque stili facultatem habeat, neces-  
se est.

Praeceptis & exemplis, maxime antiquorum, inter fontes elo-  
quentiae locum non inuidemus: quatenus scilicet illa regulas orato-  
rum e rectae rationis principiis deriuatas tradunt, explicant, & quo-  
modo ad usum vitae prudenter applicandae sint, demonstrant; haec  
autem quatenus, quae recte praeepta sunt, ad ipsum usum translatâ  
exhibit, atque ad imitandum proponunt. Neque enim cuidam  
dignum videbitur admiratione, & summos rhetores atque excellentis-  
simos oratores lapsos esse, & interdum, velut bonus ille Homerius, dor-  
mitasse:

mitasse: nemini enim hominum umquam datum fuit, omnem vitare  
offensionem. Hinc illae creberrimae dissensiones diuersaeque op-  
niones, quibus inter se dissidere constat vel optimos, & priscos facili-  
tiae statores, ut quem CICERO ab ARISTOTELE, & ab utroque QVINCTI-  
LIANVS saepe dissentit. Quin ipse Cicero, qui tamen principatum elo-  
quentiae tener, suos de inuentione libros improbase, atque aliis postea  
scriptis damnasse, apud QVINCTILIANVM x) legitur.

Quare & veterum auctorum egregia monumenta ad rationis nor-  
main, tamquam ad Lydium lapidem, ita sunt examinanda, vt quae ab  
iis vere & accurate litteris consignata cognouimus, in nostrum usum  
transferamus: qui sane hac ratione longe maior erit, quam si coeco eos  
impetu sequamur. Ut autem constet, e quibus potissimum tam pra-  
cepta, quam exempla eloquentiae petere, & ad quorum imaginem nos  
componere debeamus; potiores ex antiquis & Graecorum, & Roma-  
norum dicendi magistris breuiter indicabimus.

Quamquam ante Graecos iam fuisse gentes, qui dicendi studio  
operam nauarint, non est, quod dubitemus; Graeci tamen, vt aliarum  
artium, ita & eloquentiae precepta primi tradiderunt. Cui au-  
tem ex iis inuentae huius disciplinae laus tribuenda sit, non aequi li-  
quet. QVINCTILIANVS y) EMPEDOCLEM primum monuisse aliqua circa  
rhetoricen, & ANTIOPHONEM orationem primum omnium scripsisse vi-  
detur existimare. Sed vindicant hunc honorem TISIAE SOCRATES z);  
CADMO MILESIUS aut PHERECYDI SYRIO PLINIUS a); alii CORACI, TISIAE,  
magistro, vt CICERO memorauit b). Vnus vero omnium inter Grae-  
cos ARISTOTELES eminuit, qui CICERONE auctore c), veteres oratoriae  
scriptores, a TISIA repetitos, in unum locum conduxit, & nominatim  
cuiusque precepta, magna conquisita cura, perspicue scripsit, atque  
enodata diligenter exposuit, tribus scilicet ad Theodecten libris, &  
forte uno ad Alexandrum: nam hunc eius esse foetum, multi eruditio-  
rum dubitant. Commentati sunt in eos M. ANTON. MAIORAGIVS, ANT.  
RICCOBONVS, PETRVS VICTORIVS, CHRISTOPH. SCHRADERVS & alii, quo-  
rum est ingens copia. Quae DEMETRIVS PHALEREVS de membris & incisis;  
de periodo eiusque partibus; de componendis epistolis, & de charactribus dicendi  
egregie precepit, a IOH. CASELIO edita cum libro nre epiuenies s. de in-  
terpretatione, aut si maius, elocutione, quem ALDV斯 eius nomine inscriptum  
primus d) vulgauit, sed ISAACVS VOSSIUS e) DIONYSIO HALICARNASSAEO

B 3

vindi-

x) lib. III. c. 5. & 6. y) lib. III. c. 1. z) apud Platon. in Phaedr. p. 1239. a) lib.  
V. c. 39, VII. 56. b) de orat. I. c. 21. & Brut. c. 12. c) lib. II. c. 2. d) Venet.  
f. 1508. e) de poëmatum cantu p. 91.

vindicauit. Huius DIONYSII *ars rhetorica* primum prodiit ex officina AL-  
DITI, dein ROB STEPHANI g) iuncta cum eiusdem de compositione orationis  
libro. Ille etiam separatim publicauit eius *indicia de priscis oratoribus eo-*  
*rumque characteribus*; JOHANNES VERO STVRMIVS libellum περὶ οὐρανοῦ  
τὸν nominum collocatioνē, vna cum suo de periodis libro. HERMO-  
GENES librum de statibus, aliū de ideis, & quatuor libros de inventione  
praeclare confecit, quos ALDVS primus h) in lucem graece protulit,  
IOH. VERO STVRMIVS i) & CASP. LAURENTIVS k) in latinum sermonem ver-  
terunt, scholiisque doctis illustrarunt. DIONYSIVS LONGINVS CASSIUS  
librum περὶ ὑψους τὸν de sublimitate erudite scriptum reliquit, editum cura  
FRANC. ROBERTELLI l), PAVELI MANVII m), TANAO FABRI n), IAC. TOL-  
LIO o), CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII p) atque aliorum. Alia Graeco-  
rum rhetorum, vt ARISTIDIS περὶ λόγου ποιησίης, & ceterorum, quae ad  
nos perueniunt, scripta in corpore rhetorum Aldino q) conspi-  
ciuntur.

Ex oratoribus Graecis facundiae laude maxime floruerunt ISO-  
CRATES & DEMOSTHENES. Illum CICERO eloquentiae patrem, hunc PLI-  
NIVS r) normam oratoris & regulam, & QVINCTILIANVS legem orandi  
dixit. Illius adhuc habemus XXI. orationes ab HIER. WOLFIO cum ver-  
sione & commentario editas; huius vero LXI. a magno illo renascentis  
Graeciae statore, ALDO MANVIO, e tenebris erutas s), & a iam laudato  
WOLFIO in latinum sermonem translatas, atque aliquoties emissas vna  
cum LIBANII argumentis atque VLPIANI commentariis. Neque igno-  
tae sunt orationes LYSIAE XXXIII. quae graece & latine cum notis IO-  
DOCII HEIDI t) separatim exstant; aliae GEORGIAE LEONTINI,  
ISAEI, HYPERIDIS, DINARCHI, LYCVRGII, DIONIS PRVSAESENS, ARISTIDIS,  
IVLIANI, LIBANII, aliorumque, cum in corpore veterum oratorum, illo  
ab ALDO, & alio ab HENR. STEPHANO adornato, inueniuntur; tum separa-  
tim, aut cum uno alteroue coniunctum vulgatae sunt.

Romani, Graecorum in dicendi studiis aemuli, tantam, florente  
republica, eloquentiae laudem adepti sunt, ut ipsos Graecos ea super-  
rasse videantur. Praefertim aeuum CICERONIS magnam disertissimo-  
rum virorum copiam tulit; sed praeter huius monumenta nihil eo-  
um nostram vidit aetatem, quibus Q. HORTENSIVS, C. CVRIO, M. BRV-

f) Ven. 1508. g) Paris. 1547. h) Ven. 1508. i) Argent. 1570. 8. k) Gene-  
uae 1514. 8. l) Bas. 1559. m) Venet. 1555. n) Salmurii 1663. o) Traj. ad  
Rhen. 1694. 4. p) Witteb. 1711. 4. q) Ven. 1508. f. 2. vol. r) lib. VIII. ep.  
36. s) Ven. 1504. f. t) Hanou. 1615. 8.

TVS, M. CAELIVS, M. CALLIDIVS aliquique magni oratores, quantum dicendo potuerint, aperuerunt. CICERO vero ab hominibus sui temporis regnare in iudiciis dictus, & apud posteros id consequutus est, ut ipius nomen iam non hominis, sed eloquentiae habeatur. Effinxit enim vim DEMOSTHENIS, copiam PLATONIS, iucunditatem ISOCRATIS, vel potius omnes facundiae virtutes ex se ipso extulit immortalis ingenii beatissima vertute, ut QVINCTILIANVS V) de eo iudicauit. Cuius incredibilis eloquentia ex absolutissimis, quarum LVI. reliquas habemus, orationibus cognosci potest. Ipse autem ornatae, copiose & apte loquendi praecepta tradidit libris II. de inventione rhetorica; dialogis III. de oratore ad Q fratrem; libro de claris oratoribus, qui dicitur BRVIVS; alio ad M. BRVTVM, qui inscribitur orator; topicis ad C. TREBATIVM; dialogo de partitione oratoria, & libro de optimo genere oratorum: e quibus diligentissimam merentur lectionem, quae de oratore ad BRVTVM scripsit.

Multa etiam egregia continentur in IIII. illis rhetororum ad HENNIIVM libris, quos quidem nonnulli, in quibus illustris IOH. PETRVS. LVDOVICVS X) ipsi CICERONI vindicatum iuerunt, alii vero rectius CORNIFICIO, illi forte, quem QVINCTILIANVS y) non pauca de oratoria arte praecepisse memorat, adscribendos esse, arbitrati sunt. Accuratus admodum & exquisitus rhetor fuit M. FABIVS QVINCTILIANVS, quem, quod ad praecepta attinet, quidam ipsi CICERONI praeferre non dubitarunt. Certe politissimae sunt eius XII. libri institutionum oratoriarum, in quibus magna industria ac dexteritate oratorem instruit, atque eloquentiam ab imis fundamentis ad summum fastigium omnibus partibus expressam exhibit. Ab eodem elegantissimum de causis corruptae eloquentiae dialogum, qui alias TACITI esse creditur, profectum esse, vix est, quod dubitemus, postquam LIPSIUS, MENAGIVS, GRAEVIVS, HEVMANNVS, aliqui graues ad id probandum rationes protulerunt. Num autem declamationes cum minores, tum maiores eodem iure eius nomen ferant, id majori in dubio versari videtur: neque tamen est pro certo habendum, illas a nostri aucto, aut patre, has a M. FLORO, aut POSTHVMIO iuniore conscriptas esse, & si quae alias doctorum sunt conjecturae.

QVINCTILIANI discipulus fuit PLINIVS ille junior, qui non modo in diversis epistolarum locis praecclare de instituenda stili & dicendi exercitatione differuit, sed etiam panegyricum, TRAIANO dictum, reliquit: opus insigne, quo si laudatium species genus, Romana facundia nihil haber elegantius. Exprimere PLINIUM voluerunt alii, quorum

y) lib. X, 1. x) opus. orat. n, XI. & XII. y) lib. III. c. 1.

rum laudationes vna cum eius oratione saepius editae sunt. SENECAE, rhetoris, declamationes, quarum una citavit QVINCTILLIANVS<sup>2)</sup>, desperitae sunt; quae vero ex sui aevi declamatoribus excerpta dedis, dictione satis nitida vslis, vna cum fusaliorum libro, ex parte ad nos peruenierunt. LIVI, CVRTII, aliorumque historicis narrationibus elegantissimae saepe orationes sunt inferiae, quae separatim quoque uno collectae volumine prodierunt. Reliquos rhetores antiquos PETRVS PITHAEVS<sup>a)</sup> uno fasciculo comprehensos, in lucem protulit.

Satis de fontibus eloquentiae, ad quos eundum est omnibus, qui praestare dicendi laude volunt. Quid enim est apte arce adposito loqui, nisi a ratione praescriptas prudentialias regulas obseruare? quid est copiose dicere, nisi ex omnium disciplinatum adparatu atque experientiae peu proferre optimarum rerum copiam? quid est ornate, quid bene verba facere? nihil aliud, quam imitando exprimere egregia priscorum exempla. Hae est unica ad eloquentiam via, qua incesserunt omnes, qui post renatas litteras eminuerunt aliquo dicendi genere, & ab eloquentiae peritis in numero disertorum habiti sunt, MVRETVS, PALEARIVS, MAIORAGIVS, CASA, PERPINTANVS, VAVASSOR, HEINSIVS, CVNAEVVS, GRAEVIVS, BVCHNERVS, CELLARIUS, SCHVRZFLEISCHIVS, & qua adhuc incedunt BOEHMERVS, CYPRIANVS<sup>b)</sup>, BERGERVS, atque alii. Quorum exempla nos excitare debent, ut contendamus ad imitationem optimorum, qui antiquam illustrarunt aetatem, oratorum. Enimvero eorum vestigia tum persequi demum licebit, si in euoluendis legendisque eorum, quibus imaginem summas eloquentiae exprefserunt, scriptis, multum temporis consuaderius.

Quod quum sine antiquitatum notitia, quippe quae auctorum lectioni, cum fructu instiuentae, maxime inseruit, fieri non posse; muneri a Serenissimi huius academiae Conservatoribus, Domis meis indulgentissimi, mihi imposito conuenire, puto, si primis, iisque publicis recitationibus antiquitatis romanae ad ductum Cellariani compendii ita exponendas mihi suensero, vt omnia ad intelligendos antiquos scriptores, illustrandaque difficiliora eorum loca dirigantur. Oratione autem auspiciali, ipsis nonis Maii, hora X. recitanda, eloquentiae causam contra multorum cunctationes perorabo, simulque Munificissimae academie Nutriciae pro summo in me collato beneficio, subiectissime & publice gratias agam, ac pro eorumdem & academiae huic salute, deum optimum maximum piis precibus invoco. Ad quam propense audiendum, Prosector magnificus, illustrissimi Comites, proceres aulae atque academiae excellentissimi, sacrorum praecones venerandi, & quicunque in Prytaneo hoc litteras amant, atque ornant, ut frequentissima auditorum corona compareant, mihiique aures praebent beneuelas, reverenter, & opere, quanto possum maximo, rego, eiusque insignis bonitatis pariter ac favoris memoriam perpetuo me sanctam seruaturum, ac grati animi significationem, quoquaque potero pietatis officiisque genere daturum, spondeo.

P. P. in academia Jenensi pridie non. Maii c. 15 cc xxxi.

2) lib. VIII. 2. a) Paris. 1599. 4. b) vid. summi viri incomparabilem orat. paneg. inscriptam, consecratio E RNESTI PI, vulgaram c. 15 cc xxx.

• 83 (o) 83.

t. 3. III. dil. (y) IX. x. IX. a. 10. I. u. (x) x. X. dil. (v)

CK 4118



f

vDn8



### Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Magenta

Red

Black

DAM ORATIONEM  
A MVNVS  
DESEOS PVBLICE DOCENDAE  
NISSIMIS  
ACADEMIAE  
VATORIBVS  
ISSIME DEMANDATVM  
AVSPICABITVR  
AC FAVTORES  
RVANTIA ATQVE HUMANITATE  
INVITAT  
PRAETEREA  
VS ELOQVENTIAE  
DISSERIT  
CVS ANDREAS  
LBAVER.  
LENAE  
IS HORNIANIS.